



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

LVI. Decreta Capitul. Gener. Monachorum Ordnin. Cluniacen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

expressis, & insertis, servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorum sub Annulo Pisc. die XIV. Jun. MDCXCV. Pontificatus nostri An. Quarto.

LVI.

Confirmantur quædam Decreta Capitul. Gener. Monachorum Ord. Cluniacensis.

De reformatione horum Monachorum vid. Nic. IV. Const. ed. 1289. Sep. 12. P. 2.

Dat. 21. Junii
1695. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus cura animum nostrum sollicitat, ut promovende, atque excolendæ inter viros Religiosos Altissimi obsequiis sub suavi Monastica Vitæ jugo mancipatos regulari disciplinæ peculiari studio, summaque animi contentione incumbamus; ac proinde ea, quæ simili constituta, ac ordinata esse noscuntur consilio, ut firma semper, atque illibata persistant Apostolici muniminis præsidio libenter corroboramus, eoque tendentia illorum Superiorum in partem sollicitudinis nostræ vocatorum, ac præsertim sublimi Cardinalatus honore fulgentium vota paterna charitate exaudimus, sicut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis ad Omnipotentis Dei Gloriam, & Religionis incrementum salubriter in Domino expedire arbitramur.

Insequentia Statuta condita fuerunt in Cap. Gen. 1693.

§. 1. Exposuit siquidem nobis nuper Vener. Frater noster Emmanuel Theodosius Episcopus Albanen. S. R. E. Cardinalis Bullionius nuncupatus Monasterii Cluniacen. totius Ord. Cluniacen. Capituli perpetuus Commendatarius, quod pro felici, prosperoque dicti Ordinis, ejusque Monachorum regimine, & directione nonnulla Statuta, seu Decreta in Capitulo Generali ipsius Ordinis, quod novissime videlicet anno 1693. in eodem Monasterio, ipso Emmanuele Theodosio Episcopo Cardinale, & Commendatario in eo præsidente celebratum est, edita fuerunt; quæ cum nobis pro parte ejusdem Emmanuelis Theodosii Episcopi Cardinalis, & Commendatarii exhibita fuissent, Nos illa mature, ac diligenter examinari, & revideri, ac ubi opus erat, corrigi, & aptari curavimus, unde reducta fuerunt in formam tenoris, qui sequitur, videlicet: Capituli Generalis Ordinis Cluniacensis anno 1693. celebrati Acta, & Statuta, anno Domini 1693., die Dominica II. Octobris post Pentecosten vigesima secunda.

Locus Diffinitorii, & Diffinitores.

Factæ fuerunt Diffinitiones sequentes, in Camera Diffinitorii, Monasterii Cluniacensis, & fuerant Diffinitores ii, qui sequuntur auctoritate Apostolica electi, & deputati: Præsidente Eno, & Rmo DD. Card. Emmanuele Theodosio a Turre Averniæ, Abbate Generali ejusdem Monasterii, & totius Ordinis, videlicet.

Reverendus Dominus Ludovicus de Nangis, Prior Major Abbatia, & totius Ord.

Reverendus Dominus Carolus de la Motte, Prior Claustralis Monasterii B. M. de Charitate, Sac. Theologiæ Professor.

Reverendus Dominus Hieronymus Cocquelin, Collegii Dolensis Principalis, & Comitatus Burgundia Vifitator.

Rev. Dom. Claudius de Vert, Thesaurarius Cluniacensis.

Rev. D. Odo Bernard. Prior Sanctorum Petri, & Pauli de Radolio.

Reverendus Dominus Eusebius de Combronne, Prior Claustralis Sanctor. Petri, & Pauli de Sylviniaco.

Reverendus Dom. Hugo Cleuzel, Prior Claustralis Sanctorum Petri, & Pauli de Coinciaco.

Rev. D. Antonius Tevein, Decanus, & Prior Claustralis de Moyraco.

Reverendus Dom. Joannes Henricus de Barbon, Prior, & Camerarius Abbatia Sancti Theofredi Monasteriensis.

Reverend. Dom. Ildefonsus Sarrazin, Prior Claustralis S. Martini a Campis Sacrae Theologiæ Professor.

Reverendus Dom. Ludovicus Moureau, Prior Collegii Cluniacensis in Titul. Doctor in utroque Jure.

Rev. D. Stephanus de Nesmond, Prior Claustralis de Abbatis Villa.

Reverendus Dom. Joannes Baptista Graviers Prior Claustralis Sancti Marcelli de Sauzero.

Rev. Dom. Claudius Roland, Prior Claustralis de Thiziaco.

Reverendus Dominus Michael Petrus du Peray, Prior Claustralis de Nogento Rotrodi.

Auditores Causarum.

Rev. D. Paulus Rabuffon, Sub-Camerarius Cluniacensis.

Reverendus Dominus Benignus de Vert, Prior Claustralis de Lehuno in Sanguine Jerfo.

Auditores excusationum.

Rever. Dominus Jacobus de la Motte Prior Claustralis S. Dionysii de Carcere.

Rever. Dominus Joannes Marin, Prior de Sezanna.

§. 2. Spes, quæ differtur affligit animum, divino testante oraculo. Diffiteri sane non possumus eandem è dilato bono afflictionem, in maximum Spirituales lætitiæ argumentum converti, ubi illi, qui sitiunt justitiam, & ante omnia debent Regnum Dei querere, videant appropinquare tempus acceptabile, & dies salutis. Tunc enim sollicitudine non pigri, in restituendo pro viribus per Decreta Capituli Generalis Sac. Ordinis Cluniacensis anni millesimi sexcentissimi octogesimali quinti primævo nitore, & splendore, spe gaudentes jam sumus. Vox turturis audita est, vineæ dederunt odorem suum, flores apparuerunt in Terra nostra mox daturi fructus uberrimos, fructus pietatis, honoris, & honestatis. Nunquam porrò major fiducia cor nostrum ad bonum perficiendum accendere debet, quam dum videmus colligata, & inter se conglutinata, Sanctissimis concordia vinculis vota, & desideria Summi Dom. Nostri Innocentii PP. XII. & Regis vere augusti, vere magni, ut Emum Cardinalem Bullionium Abbatem nostrum, & caput totius nostræ Congregationis, auctoritate sua in restauranda disciplina Regulari Ordinis Cluniacensis adjuvent, faveant, & protegant. Is est Summus Pontifex, qui sollicitus, quomodo uni Deo placeat, evangelizat pauperibus, panem parvulis frangit, qui intelligit super egenum, & pauperem, qui surdo auris, claudo baculus, oculus cæco,

Procerium ex temporis opportunitate peccatum.

demum omnibus omnia factus est propter Christum, cuius vices gerit in terra, ut omnes adjuvet, confortet, & Christi faciat. Regem vero habemus opulentem, Regem quem Deus de Monte Sancto suo conservet, & vivificet, Regem secundum cor suum, qui dum excelsa a finibus Terræ abstulit, opprobrium illico ab Israel sustulit, & veterem delevit ignominiam, qui irascentibus, frustra frementibus, & tabescentibus populis illis, qui ruperunt pacta Testamenti Dei vivi, omnes in unum colligatos conterit in circuitu, & in magnitudine brachii sui. Ex aula denique convolvit Abbas Eius, qui cum sit de semine Virorum illorum, per quos salus primo facta est in Ordine Cluniacensi, vere Pastor, & vere Episcopus animarum nostrarum, venit evangelizare pacem, & mirifica prudentia, incredibilique lenitate, sub auspiciis Pontificiis, & regis opus nostræ restorationis toties tentatum sed hæcenus incompletum aggredi, & nobis in unum conspirantibus perferre non recusat. Quem sane Deus adjuvet in tam sancto proposito.

Plurimæ
Cause Statu-
torum.

§. 3. In primis cum nobis præcipue incumbat pristinos mores, & antiquas leges, quibus Ordo Cluniacensis tamdiu floruit renovare, & in quantum in nobis erit restituere, inquisivimus causas, quibus disciplina regularis, aut collapsa, aut labefacta fuit ut iis cognitis radices malorum, quæ sensim irrepperunt amputemus & resicemus. Sane agnovimus faciliorem, & frequentiore, tam Religiosorum Mendicantium, quam cæterorum Ordinum ingressum, alienos mores & in Ordine nostro invexisse: necnon licentiam, & facultatem, quam quidem inter Abbates, & Priores Commendatarios sibi arrogare voluerunt concedendi loca, seu portiones Monachales personis sæpe sine ullo delectu in Ordine magnum dedecus intulisse. Et licet Summi Pontifices nunquam intendant, dum provident Monachis jam professis expresse in Ordine Sancti Benedicti, de Beneficiis Ordinis Cluniacensis, eorum translationem, aut migrationem confirmare, nisi prius idonei, & capaces probati fuerint, tamen consuetudo pessima invaluit, ut tales provisus a Summo Pontifice, vel a Collationibus Ordinariis nove probationi, & professioni in Ordine se nolint subicere: Unde plerumque evenit, ut laxiori, & emissiori vivendi modo addicti, nec ritibus Ordinis instructi sensim nostrorum mores corrumpant. Plerique etiam sub spe, aut prætextu melioris frugis incedæ, a Sede Apostolica sibi faciunt provideri de Beneficiis, aut officiis Claustralibus Ordinis Cluniacensis cum Decreto habitum Regularem suscipiendi, sed ubi primum illa Beneficia, aut officia obtinuerunt, se nullo examini existimant subiacendos. Et si contingat eorum mores, aut vocationem non probari recurrunt ad alios, & ad Episcopos locorum, in quibus Beneficia sita sunt, qui ipsos ad professionem regularem admitti jubent, quod omnino professionis Regularis Institutis adversatur, quia ut ait S. Pater Benedictus: *Noviter veniens quis ad conversionem non ei facilis tribuatur ingressus, sed ut ait Apostolus; probare Spiritus si ex Deo sunt.* Visum est etiam nobis consuetudinem peragendi novitiatum in quolibet Monasterio sua habere incommoda, & vix in Monasteriis in quibus non potest Monachorum sufficiens numerus sustentari, Divinum Officium cum ea, qua decet reverentia posse celebrari; Necnon in illis Monasteriis proprietatem necessario foveri, in quibus Vestiarum loco, aut pensionis Monachalis nomine certa pecunia Monachis annuatim persolvitur, nec posse hunc abusum prorsus a proposito regulari deviantem tolli, nisi vita communis in singulis Monasteriis restauretur, necnon aliquis modus adhibeatur in regimine, seu administratione

fructuum, reddituum, & obventionum, quæ cuilibet Monacho possunt competere ratione Officii Claustralis, aut Beneficii de quo provifus est in titulum. Observatum est etiam a Visitatoribus Provinciarum sæpe utile esse, & commodum pro bono pacis, & Religionis Monachum de uno Monasterio ad aliud migrare ad tempus, & providendum esse, ne sub prætextu stabilitatis Monachi inobedientes fiant. Insuper ex frequentiori Superiorum mutatione ex una parte, & ex eorumdem perpetuitate ex alia non modicum hucusque provenisse incommodum animadversum est. Tandem cum Collegia Monachorum erudiendorum causa sapienter a majoribus nostris instituta fuerint, & licet antiquitus in illis præci debent viri providi, & literarum Divinarum, & humanarum peritissimi, ut alios verbo, & exemplo instruerent, qui quidem ad nutum Abbatis Cluniacensis poterant amoveri: tamen convenientibus, immo aliquando faventibus Superioribus Ordinis, Administrationes quædam eorumdem Collegiorum confueverunt dari in titulum, unde potest sapius evenire, ut conferantur Monachi, qui licet aliunde capaces, & idonei, tamen non habent certam infirmam, & providentiam, quæ in talibus muneribus obeundis necessaria est, & cum bonum privatum debeat eedere publico, & communi, propositum est media omnia adhibenda, ut deinceps eiusmodi administrationes non conferantur in titulum. Quibus omnibus mederi cum necessarium judicatum fuerit, maturo examine ponderatis, & perpetuis omnibus hinc inde rationibus Statuta, & ordinata sunt, quæ sequuntur.

§. 4. Statutum est ne deinceps ulli Monachi Professi in aliis quibusve Ordinibus Regularibus, nullive Religiosi mendicantes admittantur, seu recipiantur in Monasteriis Ordinis Cluniacensis, nisi prius de suorum Superiorum consensu, & Sedis Apostolicæ licentia necnon, & de consensu Abbatis Cluniacensis per legitima documenta appareat, & nisi benevolos receptores in uno e Monasteriis Ordinis nostri invenerint, eaque lege, ut de novo in uno e Conventibus ad Novitiatum cæterorum in Ordine admissorum designatis, annum probationis cum effectu compleant. Nec admittantur ad Professionem Regularem in Ordine Cluniacensi emittendam, de licentia Abbatis Cluniacensis secundum Statuta Ordinis, nisi a Monachis ejusdem Conventus, in quo Novitiatum expleverint capitulariter congregatis via Scrutiniî secreti, & saltem a majori parte capituli capaces, & idonei fuerint iudicati.

§. 5. Nullus deinceps Abbas, aut Prior Commendatarius se intromittat de suscipiendis Monachis, sed secundum Regulam S. P. Benedicti deligantur, & probentur a Monachis ejusdem Conventus, in quo recipi debent. Nec liceat eiusmodi Abbatibus, vel Prioribus Commendatariis disponere de Mansionibus, locis, seu portionibus Monachalibus, sed earum dispositio prout jam factum est in Capitulo Generali anni 1676. pertineat ad Conventum, & Monachos ejusdem Monasterii, qui quidem personam idoneam deligere tenebuntur infra sex menses a die vacationis computandos, & ad unum e Novitiatis mittere sic delectos, habitu regulari per Priorem loci induendos infra idem tempus; alioquin ne numerus Monachorum minuatur, de eis providebitur per Abbatem Cluniacensem. Quod observandum censuimus non obstante quocumque pacto, conventionem, aut consuetudine in contrarium, quæ potius corruptela, quam consuetudo nominanda est.

§. 6. Nullus etiam in Ordine quocumque, etiam S. Benedicti expresse jam professus, & Pro-

De recipien-
dis aliorum
Ordinum
Religiosis.

De distribu-
tione portio-
num Mona-
chalium.

De receptio-
ne eorum,
qui benefi-
vifus.

1695.
ciis. vel Offi-
ciis Ordin.
Cluniacen.
donati sunt.

visus a Sancta Sede Apostolica, vel a Collatori-
bus Ordinariis de Beneficiis, aut Officiis Clau-
stralibus Ordinis Cluniacensis, admittatur in
Ordine nostro vigore præfatarum provisionum,
nisi velit prius in Novitiatibus Ordinis, ut in
primo articulo ordinatum est, novam proba-
tionem inchoare, & perficere, & anno elapso
subijci examini Conventus Monachorum Mona-
sterii, in quo Novitiatum compleverit, ut in
primo articulo sancitum est. Et si contigerit a
Capitulo suffragiis, & votis majoris partis capa-
cem, & idoneum non reperiri, tunc secedere ab
ordine teneatur, & Beneficia, seu officia cedere
infra sex menses a die repudiationis ejus ipsi inti-
mandæ computandos, alioquin præfato termino
elapso vacare prædicta Beneficia, & Officia cen-
seantur. Idem omnino Statutum est circa illos,
qui sub spe, aut sæpius prætextu melioris frugis
ineundæ d. regularis disciplinæ amplectendæ vo-
to, provisiones Beneficiorum regularium, aut
officiorum Claustralium Ordinis Cluniacensis
obtinere cum Decreto habitum Regularem
suscipiendi, quos vulgo vocant: cupientes pro-
fiteri. Qui omnino non admittantur nisi secun-
dum formam superius prænotatam, & præscrip-
tam. Et si capaces, & idonei reperti non fue-
rint, tunc Beneficiis, & Officiis suis cedere de-
beant infra terminum supra determinatum, alio-
quin vacare ceaseantur.

De Novitia-
tu.

§. 7. Nullus sive Religiosus, sive Sæcularis
poterit Novitiatum inchoare, & perficere nisi in
Monasteriis ad id specialiter a Capitulo Generali
designatis, in quibus delecti ad loca, seu ad man-
siones Monachales, vel de Beneficiis, aut Officiis
Claustralibus provisi, sub literis authenticis sigillo
Conventus munitis, aut in casu negligentia Ab-
batis Cluniacensis ad probationem recipiantur,
& habitu Regulari per Priorem Monasterii in-
duentur, annoque Novitiatum expleto ut supra
statutum est, ad Professionem Monasticam admit-
tentur secundum Statuta.

De numero
Monacho-
rum eorum-
que confer-
vacione.

§. 8. Quia compertum est Divinum cultum
vix posse observari, & Divinum Officium cele-
brari, neque etiam observantiam Regularem
facile posse manu teneri in Monasteriis, in quibus
sufficiens numerus Monachorum non est,
statutum, & ordinatum fuit in qualibet Pro-
vincia certa Monasteria eligenda pro opportu-
nitate situs, & ædificiorum, in quibus stabilia-
tur numerus decem, aut minus octo Mona-
chorum. Et si redditus, proventus, & obven-
tiones Monasteriorum sic delectorum non va-
leant sufficere ad talem numerum sustentan-
dum, tunc augeantur, vel per unionem, & sup-
pressionem Sacristiarum, cæterorum Officiorum
Claustralium aliorum Monasteriorum, aut Prio-
ratorum. Et si illud commode fieri non poterit,
saltem per translationem eorundem Officiorum,
& per appellationem, & incorporationem portio-
num, aut mensarum Monachalium, & quia ad Di-
vini Cultus augmentum certum numerum Mona-
chorum alendum, quilibet, & singuli Priores Or-
dinis ex primæva eorundem Prioratorum funda-
tione, seu erectione tenentur, & cum nulla possit
adversus Deum, & leges fundationi addictas præ-
scriptio opponi, visum est certas regulas statuen-
das sub quibus hujusmodi applicatio mensarum,
& unio Officiorum possit fieri.

De quorum-
dam Mona-
steriorum
contributio-
ne, ejusque
executione.

§. 9. Ideo statutum est nihil omnino a Prio-
ratibus, & Monasteriis ejusdem Ordinis sub no-
mine portionum Monachalium exigendum in
quibus actu, & de facto, & a quadraginta annis
amplius, & retro nulla mensa, aut portio Mo-
nachalis præstita est, & quorum insuper reddi-
tus, proventus, jura, & obventiones, deductis
oneribus realibus, non ascendunt ad summam
mille, & ducentarum Librarum. Quo ad vero
cæteros Prioratus, & Monasteria Ordinis,
subijciuntur contributioni earundem portio-

num Monachalium, ea tamen lege, ut semper
salva, & illæsa remaneat apud eosdem Priores,
qui ejusmodi contributioni, ut supra ordinatum
fuit, subijci non fuerunt prædicta summa mille
ducentarum Librarum, nec possint ultra ter-
tiam partem reddituum mensæ Monachorum
destinatum gravari. Et quia ad id opus complen-
dum, quod omnino cultui Divino restituendo,
& disciplinæ regulari in Ordine restaurandæ con-
gruens, & necessarium judicatum fuit, multi
Contradictores poterunt inveniri, supplicatum
est Esmo Cardinali, ut ad id adhibeat, & Ponti-
ficiam auctoritatem, quam humillime totum
Capitulum Cluniacense supplex ab Apostolica
Sede postulat. Insuper procurabit Esmus Cardi-
nalis, ut a viris providis inquiratur cito citius
de redditibus, juribus, & proventibus cujuslibet
Prioratus, ut possint illius celsitudini sup-
petias ferre. Et providebit etiam ne sub præ-
textu ejusmodi unionum, incorporationum, aut
applicationum mensarum Monachalium fundatio-
nes, quæ in quolibet Prioratu debent a Prioribus,
vel Monachis specialiter peragi, cæteraque eor-
undem Prioratorum onera, & servitia propterea
defraudentur.

De vita com-
muni.

§. 10. In posterum Monachis in Monasteriis
particularibus degentibus pensiones personaliter
non solventur; sed redditus omnes, qui ipsis a
Prioribus pro sustentatione erogantur, vel de
mensa ad eos spectante quoquo modo proveniunt
in communi reponentur per Cellerarium, aut
Procuratorem in Capitulo a Conventu eligen-
dum, ministrandi ad necessariam in vita com-
muni sustentationem Monachorum. Decernimus
quoque quod pro Vestuario, loco pecuniæ
vestes, aliæque res necessariæ Superioris paterna
providentis auctoritate per eundem Cellerarium,
aut Procuratorem deinceps subministrentur
omnibus, tantumque in iis rebus quotannis
pro Superioris providentia impendatur, quan-
tum singulis Monachis numerata pecunia præbe-
ri consuetum fuerat: mandantes item, ut quæ-
cumque perniciose aliquid sibi tanquam suum
sibi que proprium habendi cupiditati favere visa
erunt, omni studio penitus refectentur. Celler-
arius autem, aut Procurator quoties libuerit
Conventui, aut ad minus quolibet anno, & sine
ulla mora receptorum, & expensarum rationem
coram Priore, & Monachis ad id a Conventu de-
putatis reddere exacte, & fideliter tenebitur.
In iis Monasteriis in quibus Officarii Claustrales
aliique beneficia in titulum habentes consueve-
runt suorum Officiorum, aut Beneficiorum pro-
ventus administrare, talem administrationem
non exercebunt, nisi cum onere, & debito red-
dendi rationem quotannis saltem Superioribus
suis de usu eorundem proventuum prædictorum
Officiorum, aut Beneficiorum in exequendis de-
bitis oneribus, elemosinis largiendis, & aliis im-
pensis faciendis.

De celebra-
tione Capi-
tuli Geni.

§. 11. Capitula generalia diutius intermissa
celebrabuntur exacte, ut Canones Ecclesiæ, &
Sacrum Concilium Tridentinum præcipiunt, in
posterum singulis trienniis Dominica tertia post
Pascha, in qua cantatur pro introitu Missæ: *Ju-
bilate*. Quæ quidem Capitula per præcedentia
indicentur, & ad quæ omnes tam Abbates, quam
Priores, & Decani Conventum actu habentes,
exclusis omnino Prioribus cæteris, absque ulla
alia indicatione, aut convocatione convenient,
adeunt omnes ipso Sabbato ante prædictam Do-
minicam adsint, nec quisquam ante feriam sextam
adventare præsumat. Prohibitum est ne in po-
sterum ad Capitula Generalia a Conventibus de-
putentur, & mittantur Monachi, quos vocant
Conventuales, nisi in casibus, qui tanti sint mo-
menti, ut Vicarii Generales, aut Visitatores sic
ordinandum duxerint.

De obedientia.

§. 12. Professio Religiosa deinceps in toto Or-

1695.
ria Monacho-
rum.

dine pro singulis Monasteriis emittetur sub obedientia Superiorum, a quorum obedientia sub eo prætextu se se subtrahere non poterunt. Sed Superioribus majoribus, aut Visitatoribus sine contradictione obtemperabunt cum ipsis utile aut necessarium visum fuerit eos mittere ad alia Monasteria in eadem Provincia: aut etiam extra eandem Provinciam, cum Abbates Cluniacenses, aut Capitula generalia sic duxerint de iis disponendum.

De Prioribus.

§. 13. Omnes Priores Claustrales in Capitulis generalibus, aut conservabuntur, aut destituentur, prout Dissinitotes judicaverint, eos debere aut conservari, aut destitui. Et si aliqui stare iudicio Dissinitorum renuerint, Emi Abbatis, qui nunc est, aut successorum Abbatum interposita auctoritate tali se iudicio subijcere compellentur.

De Collegiis præsertim Parisien.

§. 14. Statutum est Administrationes Collegiorum Ordinis, & præcipue Collegii Parisiensis, de quo nunc provisum est Dominus Ludovicus Moreau, qui illud provide, solerter, & sagaciter rexit, & gubernavit, non esse deinceps in titulum Beneficii conferendas, aut committendas. Sed post obitum illorum quibus de iisdem in titulum provisum fuit, in commissionem, & simplicem administrationem nutu Abbatis Cluniacensis amovibilem reducendas, prout jam ordinatum fuit in Capitulo generali anni 1600. Cui quidem Decreto idem Dominus Ludovicus Moreau propter bonum Ordinis consensit, ea tamen lege, ut sub nullo prætextu possit ejus vita durante turbari in administratione bonorum ejusdem Collegii. Quod omnes approbamus, ob cognitam ejusdem, jam in Ordine Cluniacensi in rebus agendis, & administrandis bonis Collegii solertiam, & singularem providentiam. De qua ei totus Ordo debet gratias rependere, & Capitulum Generale gratulatur. Ut facilitatem, & commodiorem in prædicto Collegio Parisiensi mansionem inveniant Monachi Ordinis, qui ad illud studiorum causa mittantur, statumus, ut præter Priorem, seu Administratorem Collegii, & alios Officiarios, & burfarios, & Monachos actu in eodem Collegio studentes, nullus possit sub quocumque prætextu habitaciones, seu Mansiones in eodem Collegio sibi reservare, & qui illas obtinent, aut obtinuerint secedere teneantur in Monasteria, in quibus ratione suorum Officiorum, aut Beneficiorum debent commorari.

De Monasteriis Nobilium.

§. 15. Cum Ordo Cluniacensis magis Gallicæ Nobilitati debeat, quam quilibet alius Ordo, Statutum est, ut certus numerus Monasteriorum recipiendis Nobilibus destinetur, in quibus si soli recipiuntur, qui facta probatione, vera, & indubitata nobilitate reperientur insigniti, quæ quidem Monasteria designabit Emus Abbas, & in quibus admissi, seu recepti nobiles eam vivendi formam, quam invenerint sequentur.

De habitu, & egressu Monasterio.

§. 16. Cum nihil magis congruum sit Monacho, quam, ut habitu exteriori uniformitatem vitæ cum aliis indicet, & demonstrat, statumus, ut omnes, qui deinceps in Ordine recipiuntur, uniformem habitum deferant, cujus formam Emus Cardinalis Abbas designabit. Omnes quoque Monachi Ordinis vestes longas, seu talares, & Regulares in Monasteriis, & locis Residentiæ deferent sub pœna excommunicationis contra aliter facientes, cujus absolutio soli Priori Claustrali reservatur, prout ordinatum reperimus in Statutis Capituli anni 1458., & renovatum in Capitulo generali anni 1676. In itinere autem vestes deferent, ut in præfato Capitulo præscriptum est. Quisquis autem sine Regulari habitu, videlicet Scapulari super vestem ab anteriori parte, & posteriori ita dependente, ut appareat sine ullis omnino globulis, repletus fuerit etiam in itinere pœnis prædictis

Statutis latis subijcebit, & omnibus Superioribus injungimus, ubi aliquos hujus ordinationis prævaricatores invenerint eos excipere sicut tanta inordinatio meretur. Eos declaramus incidere in casus reservados Abbati Cluniacensi, & Vicariis Generalibus, & Visitatoribus in actu Visitationis, a quibus solis possint absolvi, qui, quod Deus avertat, in tabernis manducare, aut bibere præsumerent in locis suæ residentiæ, aut in eorum vicinia, quæ quidem vicinia designabuntur a Visitatoribus Provincia. Nec ullus Monachus sine licentia Prioris Claustralis, ut habet Regula, claustra, seu septa Monasterii egredietur.

§. 17. Cum nihil Vitæ Monasticæ conformius, & magis ad conservandum paupertatis Religiosæ Spiritum necessarium, quam vita communis: ordinamus talem Vitam in omnibus omnino Monasteriis instituendam ubi non est, omnesque redditus in communi reponendos. Si tamen ut fieri potest propter locorum dispositionem aliquibus in Monasteriis, aut proventuum diminutionem, Statutum hoc nequiret servari, quantum fieri potest loca in eum Statutum restituentur, ut observetur.

§. 18. Licet in præcedentibus Capitulis Generalibus sancitum fuerit inter Monachos Ordinis pacis, & concordia causa omnes lites amputandas, ideoque statutum fuerit ubi aliqualis, vel contentio oriretur inter Monachos, vel Monasteria amicabile compositione Virorum prudentum terminandas, experientia docuit sæpe Monachos nolle Statutis Ordinis pro eorum utilitate sancte institutis deferre, & plerumque vagandi animo, atque a Monasteriis recedendi studio lites conficere; idcirco placuit renovari ea, quæ jam salubriter ordinata sunt, ac Statutum est omnes controversias inter Monachos Judicio Visitatorum Ordinis esse terminandas. Et si quis sibi gravamen factum conquærat a Visitatoribus, tunc recurrat ad Abbatem Cluniacensem, qui Viros delectos religiosos cum juris peritis, si ei libuerit, eliger, qui lites hujusmodi dirimant, quorum Judicio acquiescent. Insuper nullus Prior, aut Procurator Monasterii ullam litem instruet, & defendet, nisi prius Visitatori Provinciæ Memoriale ejusdem mittat, ut de eo consulat, ut si ipsi videbitur ejusmodi litem ulterius prosequendi det licentiam. Quod si negotium debeat referri ad Superiores curias, & sit alicujus momenti, tunc Visitator curabit, ut Memoriale ipsi a Monachis porrectum disquiratur in consilio juris peritorum ab Abbate Cluniacensi delectorum. Et ut licium expensis parcatur, has tunc lites prosequatur Procurator Generalis Ordinis, & expensæ litis ipsi a Monasteriis restituentur; nec licebit Priori sub prætextu ejusmodi litium, aut a Monasterio abesse, aut alium Monachum deputare sine speciali venia Abbatis Cluniacensis, aut Superiorum majorum Ordinis. Ut omnes lites inter Commendatarios, & Monachos Ordinis resercentur, si possibile est in omnibus Monasteriis, aut Prioratibus Conventualibus partitio bonorum temporalium fiet, ut jam ordinatum fuit; & si contingat in aliquibus, redditus adeo tenues esse, ut sufficere non possint expensis ad quas sæpe contumacia Commendatariorum in partione Monachis concedenda adducit, tunc ne bonum Ordinis retardetur illam partitionem Procurator Generalis Ordinis prosequatur.

§. 19. In omnibus Prioratibus Conventualibus, & Monasteriis ruinæ adificiorum restaurentur, & ut sumptibus si fieri potest parcat, Procurator Generalis Ordinis, monebit literis communitatis omnes Priores, ut oneri ipsis ratione Beneficiorum imposito, cito citius satisfaciunt, & si communitatis satisfacere negligant, aut renuant, tunc illos per vias juris compellat.

De vita communi in omnibus Monasteriis.

De litibus inter se, vel Monachos inter, & extra.

De Monasteriorum restauratione.

1695.
De Cla-
sura.

§. 20. Nullus in Monasteriis, & Prioratibus sub quocumque pretextu pateat ingressus Mulieribus, & ideo loca Regularia undequaque claudantur, nec sit, nisi unum osium per quod in eo detur accessus, & si aliqua porta in hortis, aut aliis locis pro commoditate rerum Monasterii sint, non aperiantur, nisi in casu necessitatis, & claves semper in Cella Prioris reponantur.

De Prioribus, qui Capitulo non interfuerunt.

§. 21. Quia multi Priores Clausurales ad Capitulum Generale non potuerunt, & enixe se excusarunt, eo quod ipsis necessaria non praestiterint Priores Commendatarii, contra illos, qui ad id tenentur, & inter quos partitio nondum facta fuit Procurator Generalis aget.

De Tonfura.

§. 22. Non sine magno cordis dolore comperimus multos tonsuram adeo negligere, ut supposititios crines deferant, cui malo, ut occurramus artificiosas casarias, quas contra decentiam Monasticam esse nemo non dubitat, penitus omnibus in posterum inhibemus.

De Novitiis, & Novitiabus.

§. 23. Cum ex Novitiorum bona institutione dependeat totius vitae sequentis perfectio, ordinamus, quod deinceps Novitii post annum probationis duos insuper annos in exercitiis regularibus transigant, in eodem Monasterio, in quo annum Novitiatus experieverint antequam ad Collegia studiorum causa mittantur. Loca instituendis Novitiis deputata sunt, quae sequuntur.

Pro Novitiis antiquae observantiae.

Prioratus Sancti Eutropii Xantonienfis.
Prioratus de Cariloco.
Prioratus de Abbativilla.
Prioratus de Nogentorotredi.

Et Prioratus de Nantuaco quem designamus pro iis qui in dicto Prioratu, & Abbatibus de Balma, & Gigniaco recipientur Novitiis.

Pro Novitiis strictioris observantiae.

Sacra Abbatia Cluniacensis.
Prioratus B. Mariae de Charitate.
Prioratus S. Martini a Campis Parisiensis.

§. 24. Quantum vero ad Abbatiam Sancti Theofredi Monasteriensis, propter summam nostram erga Eum Cardinalem de Bonzy, reverentiam, & venerationem eidem plenam, & omnimodam praedictae suae Abbatiae, eiusque dependentiarum dispositionem, sive quantum ad Novitiorum receptionem, sive quantum ad caetera omnia, ut in praecedenti Capitulo ordinatum est, duximus relinquendam quandiu vivet, & praedictam reget Abbatiam Eminentissimus Cardinalis, cui multos annos apprecamur. Eo vero cedente, aut cedente Monachi praedictae Abbatiae, & dependentiarum statutis Ordinis Cluniacensis se se conformabunt, & subjicient, ut eam vivendi formam teneant, quam S. P. Hugonis sub quo praedictam Abbatiam Ordini associatam fuisse demonstrant authentica ejusdem Abbatiae Carthulariorum Instrumenta Successores ordinis Capitula instituerunt. Recipient quoque Novitios suos, ut assolent Monachi Abbatiarum Monasterii novi Picaviensis, & Monasterii Beatae Mariae de Ageduno.

De quorundam Monasteriorum clausura.

§. 25. Auditis Visitatoribus, & Vicariis Generalibus de statu Monasteriorum, tam Monachorum, quam Monialium, comperimus nonnulla Monialium Monasteria esse sine clausura. Ideo statuimus, ut juxta sapientissima Sacri Concilii Tridentini Decreta quam primum clausura firmentur.

De reformatione Monasterii Lairacensis.

§. 26. Vox lamentationis, & fletus auribus nostris insonuit, dum referente Vicario Generali Provinciae Vasconiae miserum, & deplorabilem statum Monasterii Lairacensis audivimus. Agnovimus abominationem desolationis stare in loco Sancto, ubi olim Divinus cultus vigeat. Quam-

obrem Eminentissimo Abbati supplicatum est, ut malis in dies ingruentibus occurrere, & pro sua auctoritate de congruis remediis providere dignetur.

§. 27. Eodem quoque referente Vicario Generali nobis innotuit vitam communem in Abbatia Lezaerensi minime observari. Unde statuimus, & ordinamus, ut intra annum, si prius fieri non potest instituat, maxime cum Illustrissimus Episcopus Regiensis ejusdem Abbatiae Commendatarius Abbas paratus sit omnia praestare, quae sui sunt muneris, ut loca sic disponantur, ut facile possit observari.

De Monasterio Lezaerensis vita communi.

§. 28. Visto libello supplici porrecto nomine clarissima in Christo filiae fororis Catharinae de la Chaize Priorissae Monasterii Sanctissimae Trinitatis de Marciniaco, & Sororum ejusdem Monasterii, ut ratum haberet, & gratum Capitulum Generale Decretum factum ab Eminentissimo Cardinale Bullionio, tam sua ordinaria potestate, quam ipsi delegata a Summo Pontifice, quo quidem Decreto suppressit mensam, & Titulum Prioris in eodem Monasterio propter gravia incommoda, & eodem Decreto perlecto de die secunda mensis Martii anni currentis, idem approbamus, & ratum habemus tanquam utile bono Religionis, & conforme legi foundationis, reservato tamen beneplacito Apostolico hac in re particulariter, & specifico obtinendo.

De Priorato Monasterii de Marciniaco.

§. 29. Exhibito Nobis per Dominum Casimirum Vincentium Monachum a quibusdam Monasteriis Poloniae deputatum supplici libello, quo nomine Monachorum quorundam Benedictinorum Regni illius postulatur in eodem Regno eam, quam antiquitus tenent ab Abbate Cluniacensi, & ordine dependentiam conservari, non latari non possumus in tam distitis regionibus post tot rerum mutationes Cluniacensis Ordinis nomen, famam, & splendorem vigere. Quapropter Eminentissimi Abbatis prudentiae remittimus ea ordinare, quae congrua cognoverit in tali negotio peragenda.

De Benedictinis in Regno Poloniae.

§. 30. Decretum est, ut propter magna, & continua officia, quibus clarissimus Dominus Antonius le Vaillant, sapientissimus in Curia parlamenti Advocatus de Ordine benemeritus est in dies benemeretur eidem literae associationis, & participationis honorum operum concedantur.

De Literis associationis cuidam concedendis.

Statutum est, ut juxta antiquum usum Ordinis Abbatia Cluniacensis tempore Capituli a Deputatis visitetur, absque praedictis visitationum singulis annis faciendarum.

De armis, & aleis.

§. 31. Renovando Statuta Ordinis juxta Canonum Decreta condita prohibemus omnibus, armorum gestationem sub poenis Juris, & eorum detentionem sine licentia. Prohibemus etiam venationes, & aleas sub poenis a Canonibus, & statutis Ordinis praecipue Capituli anni 1458. latis.

De institutione Priorum.

§. 32. Decretum est institutionem Priorum Clausuralem ab Abbate Cluniacensi traditam legendam esse in Capitulo Monasterii coram omnibus Monachis, & in librum actuum Capitularium inferendam intra tres menses a die adventationis Priorum in sua Monasteria sub poena depositionis, si per eorum negligentiam legi, aut inseri omittatur.

De juramento in Professione.

§. 33. Decretum est, ne deinceps aliud Juramentum a Proficientibus in sua professione pronuntietur, nisi quod ab Eminentissimo D. Cardinali nunc Abbate fuerit approbatum & signo suo, seu Chirographo munitum; ita tamen, ut hujusmodi juramentum Sacris Canonibus Apostolicis, & Ordinis Cluniacensis Constitutionibus, ac Sacri Concilii Tridentini Decretis nullatenus adferatur.

De actibus Capituli.

§. 34. Mittet Procurator Generalis duo tam hujusmodi capituli, quam aliorum deinceps exemplaria ad singula Monasteria, quae quater in quatuor anni temporibus integre in Capitulo

De ordi-
nandis.

præsentibus omnibus Monachis diligentia Prio-
rum perlegentur.

§. 35. Monachi ordinandi per Superiores ma-
jores ad Monasteria Regularia mittentur ibi per
tres menses pro quolibet ordine Sacro recolle-
ctioni vacaturi.

De taxa
pro expensis
communi-
bus.

§. 36. Cum experientia nobis innotuerit re-
ductionem taxarum pro expensis communibus in
ultimo Capitulo factam impedire quo minus fa-
tisferi possit omnibus impensis necessariis Ordini,
decernimus eas exigendas prout Decretum
fuit die 15. Februarii anni 1681. Rogamus ve-
ro Eminentissimum Abbatem, ut Procuratori,
vel Procuratoribus Generalibus alicujus mensæ
Monachalis proventum velit attribuere, ad ip-
sius congruam sustentationem. Verum residua
summa impensarum communium, quæ Procura-
tori Generali debetur, solvetur ut taxatæ sunt in
ultimo Capitulo Generali, nulla dilatione inter-
posita. Priores Regulares communem cum Mo-
nachis vitam, ut supra fuit ordinatum, non te-
nentes, sed pensiones tantummodo suis Mona-
chis erogantes, quoad vitam communem in suis
Monasteriis instituerint, quod ut quam primum
faciant exhortamur, taxam integram impensa-
rum communium persolvent, nec tenebuntur Mo-
nachi quidquam de suis pensionibus conferre.

De Procur-
atoribus
Generalibus.

§. 37. Dispositioni Eminentissimi Cardinalis
Abbatis relinquimus Judicium de necessitate in-
stituendi, aut unicum Procuratorem Generalem
pro utraque observantia, aut unicuique suum
usque ad proximum Capitulum Generale. Qui
Procurator, aut Procuratores Generales quot-
annis coram tunc Abbate rationem reddet im-
pensarum, & ne detrimentum patiantur negotia
Ordinis, Emo Abbati humiliter supplicamus, ut
quam primum post Capitulum nomine etiam
Diffinitorum de eo provideat. Interea autem
Domnus Bernardus Michon qui hæcenus res, &
negotia Ordinis solerter, & prudenter procura-
vit, munia Procuratoris Generalis exequetur.

De aucto-
ritate con-
cessa nonnul-
lis.

§. 38. Quia Nobis discessuris, & absentibus
forte supervenire poterunt res, quæ ad resolu-
tionem Nostram spectarent, ne quid ruat in pe-
jus, omnimodam potestatem Nobis commissam
tradimus, & committimus quatuor ex Nobis in
hac Abbatia octo diebus post Capitulum reman-
surus scilicet Rev. Domno Carolo de la Motte, R.
D. de Vert, R. D. Ildefonso Sarrazin, & R. D.
Claudio Roland, ut illis negotiis provideant.

De futuro
Capitulo.

§. 39. Statuimus proximum Generale Capitu-
lum celebrandum Dominica, in qua cantatur in
Ecclesia Dei pro introitu Missæ *Jubilate* anno Do-
mini 1697. in hac Sacra Cluniacensi Abbatia.

Sanatio
Actorum,
& absolutio
a censuris.

§. 40. Si qui intervenerint in præsentî Capitu-
lo Generali formalitatum defectus, super his,
ea qua fungimur auctoritate, plene dispensamus.
Et si a Jure, vel ab homine censuras aliqui in-
currerint Nos auctoritate tam ordinaria, quam
delegata qua fungimur ipsos absolvimus pro hac
vice.

*Nominati sunt qui sequuntur Provinciæ
Visitatores.*

In Provincia Lugdunensi.

R. D. Claudius Gendreau, Prior, & Eleemo-
synarius Abbatæ Lezatensis Baccalaureus in Sacra
Theologia.

R. D. Franciscus Joubert, Prior in Titulum
Montis Berulphi.

In Provincia Franciæ.

R. D. Claudius de Vert, Thesaurarius Clu-
niacensis.

R. D. Richardus Gerard, Prior Claustralis San-
cti Saturnini de Portu.

*In Provinciis Delphinatus, Provincia, &
Sabaudia.*

R. D. Cæsar delas Sallas Prior in Titulum de
Fontibus.

R. D. Benignus de Vert, Prior Claustralis de
Lehuno, in Sanguine terfo.

In Provincia Averniæ.

R. D. Franciscus de Gove, Prior in Titulum
de Celsiniis.

R. D. Joannes Henricus de Barbon, Prior, &
Camerarius Sancti Theofredi Monasteriensis.

In Provincia Piclavienfi, & Xantonensi.

R. D. Renatus Rousseau Abbas Monasterii no-
vi Piclavienfis.

R. D. Carolus du Couroy, Prior in Titulum
Sancti Eutropii Xantonensis.

In Provincia Vasconia.

R. D. Joannes Bouritart Prior pro antiquis B.
Maria de Paredo.

R. D. Ennemundus Morel, Prior in Titulum
de Alezio.

In Provincia Hispania.

R. D. Michael Petrus du Perray, Prior Clau-
stralis Sancti Dionysii de Nogento Rotrodi.

R. D. Stephanus de Nesmond Prior Claustra-
lis SS. Petri, & Pauli de Abbatis-Villa.

In Provinciis Italia, & Longobardia.

R. D. Petrus Govin, Prior in Titulum de
Sales.

R. D. Joannes Graviere, Prior Claustralis S.
Marcelli de Saufen.

*In Provinciis Alemanniæ, Lotharingiæ, &
Comitatu Burgundia.*

R. D. Hieronymus Cocquelin, Principalis Col-
legii Dolenfis.

R. D. Innocentius de Vautravers, Prior Clau-
stralis Beatæ Mariæ de Vallibus.

In Provincia Angliæ, & Scotia.

R. D. Ludovicus Moreau, Prior in Titulum
Collegii Cluniacensis.

R. D. Claudius Roland, Prior Claustralis, &
Sacrista S. Petri de Thisiaco.

Visitatores Monialium.

R. D. Franciscus de la Roche Guibal, Prior de
Longo ponte Doctor Sacræ Facultatis.

R. D. Petrus Symon, Prior Claustralis de Mar-
ciniaco, electi sunt in Superiores strictioris obser-
vantia.

Vicarius Generalis.

R. D. Paulus Rabuffon.

Visitatores.

R. D. Petrus Symon.

R. D. Jacobus de la Motte.

Priores.

Prior Claustralis Sacræ Abbatæ Cluniacensis,
R. D. Stephanus Jouly.

Prior Claustralis B. Mariæ de Charitate, R. D.
Carolus de la Motte.

Prior Claustralis Martini a Campis, R. D. Hu-
go Donnodien.

Prior Claustralis SS. Petri, & Pauli de Silvina-
co, R. D. Eusebius De Coubronne.

Prior Claustralis de Celsiniis, R. D. Joannes
Franciscus Constantin.

Prior Claustralis Sancti Arnulphi de Crespejo,
R. D. Joannes Bombars.

Prior Claustralis S. Marcelli Cabilonensis, R.
D. Ludovicus Evurard.

Prior Claustralis SS. Petri, & Pauli de Rado-
lio, R. D. Antonius Tocquet.

Prior Claustralis Sancti Stephani Nivernensis,
R. D. Joannes Simonin.

Prior Claustralis Sancti Dionysii de Carcere,
R. D. Jacobus de la Motte.

Prior Claustralis S. Petri Monasteriensis,
R. D.

R. D.

R. D. Gaspardus Despinet.
 Prior Claustralis de Monte Desiderio, R. D. Carolus da Zincoort.
 Prior Claustralis S. Lupi de Esserento, R. D. Joannes Chevalier.
 Prior Claustralis S. Petri de Maufaco R. D. Joannes Vernioli.
 Prior Claustralis S. Petri de Pomperis, R. D. Placidus Delporte.
 Prior Claustralis Sancti Nazarii de Borbonio, R. D. Jacobus Jeanninet.
 Prior Claustralis SS. Petri, & Pauli de Coinciaco, R. D. Stephanus Hugonet.
 Prior Claustralis de Marciniaco, R. D. Petrus Synon.

Vicarius Generalis Vifitator.

Strictioris observantiae in Comitatu Burgundiae. R. D. Hieronymus Cocquelin.

Priores.

Prior Claustralis S. Hieronymi de Dolæ, R. D. Fulgentius Camus.
 Prior Claustralis B. Mariæ de Vallibus, R. D. Innocentius de Vautravers.
 Prior Claustralis de Mortua aqua, R. D. Deicola Hogonet.
 Prior Claustralis de Castro, R. D. Franciscus Dorival.
 Prior Claustralis de Alta Petra, R. D. Albertus Chassignet.
 Prior Claustralis S. Petri de Valle - Clusa, R. D. Albertus Bole.
 Prior Claustralis S. Desiderati de Ledone Saliario, R. D. Gabriel Boudret.

Lectæ, & publicatæ fuerunt supradictæ Definitiones in Capitulo Generali Ordinis Cluniacensis Eminentissimo, & Reverendissimo Cardinali S. R. E. Emmanuele Theodosio de Turre-Avernæ Abbate Cluniacensi ibidem præsentante, & Capitulam tenente in dicto Monasterio Cluniacensi, necnon præsentibus Dominis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Administratores, Officiariis, & Religiosis dicti Ordinis ad sonum Campanæ ibidem capitulariter congregatis die 16. Mensis Octobris anno Domini 1693. præsentibus venerabilibus viris Jacobo Chauvet, Presbytero Curato B. Mariæ de Pannellis Cluniacensis Baccalaureo in Sacra Theologia, & Claudio Ludovico Lambert, Presbytero testibus ibidem adstantibus, per me Notarium Regium Cluniaci commorantem sic signata.

§. 41. Emmanuel Theodosius de Turre-Avernæ S. R. E. Cardinalis Bullionus Abbas Generalis totius Ordinis Cluniacensis. Fr. Ludovicus Denangis, Prior major Abbatiae, & Ordinis Fr. Carolus de la Motte. Fr. Hieronymus Cocquelin. Fr. de Vert. Fr. Odo Bernardo. Fr. Eusebius de Coubronne. Fr. Hugo Cluzel. Fr. Antonius Thevetim. Fr. Hugo de Barbon. Fr. Hedefonfus Sarrazin Scriba Capituli. D. Ludovicus Moreau Prior in Titulum Collegii Cluniacensis, & Dr. Stephanus de Nesmond. Joannes Baptista Gravier Roland Scriba. Petrus Duperery Chauvet, & Lambert Testes, & Brugn. Notarius Regius.

§. 42. Emmanuel Theodosius a Turre-Avernæ S. R. E. Episcopus Cardinalis Bullionus, Abbas Generalis Abbatiae, & totius Ordinis Cluniacensis. Extractum ex autographo ejusdem Capituli Generalis quod asservatur in Archivio Sacrae Abbatiae Cluniacensis per Nos Scribas, & Secretarios ejusdem Capituli, ac Notarium Regium subfignatum in Urbe Cluniacensi die 17. Mensis Octobris anno Domini 1693. Fr. Idelfonfus Sarrazin Scriba Capituli. D. Roland Scriba Capituli. Bruni Notarius Regius.

§. 43. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Emmanuel Theodosius Episcopus Cardinalis, & Commendatarius statuta,

ac Decreta hujusmodi quippe ad restituendum, ac stabiliendum in Ordine prædicto Regularis observantiae rigorem eximie conducibilia, pro firmiori illorum subsistentia, exactiorique observatione Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti summopere desideret: Nos ipsius Emmanuelis Theodosii Episcopi Cardinalis, & Commendatarii votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, illius supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula statuta, seu Decreta præinserta, in eis que contenta quæcumque auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi possunt, supplemus, & sanamus.

§. 44. Decernentes easdem præsentibus literas, ac statuta, seu Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejus S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, & Apostolicæ sedis Nuntios, aliove quolibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 45. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Monasteriorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 46. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXI. Junii MDCXCV. Pontif. nostri Anno IV.

Statuitur, ut Collegium S. Isidori de Urbe Provinciae Hiberniae Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum regatur juxta Constitutionem Urb. VIII., & ejus statuta.

Urb. VIII. Constitutio edita fuit 1625. Novem. 20. P. 3. Hujus Pontificis Const. ed. 1693. Aug. 15. P. 3. extant statuta pro tribus Cenobiis in Betica, & Clem. XI. Const. ed. 1705. Mar. 12. P. 5. agitur de Procuratore Generali Ultram.

Confirmatio
clatorum
Decretorum

Clausula.

Publicatio
relatorum
Decretorum.

Subscriptio-
nes.

Fides.

Preces
Emin. Com-
mendatarii.

LVII.